

quod hæc animalia multum forensem lædunt non illos qui ibi sunt nati.¹ In hac insula etiam sunt aves multum magnæ sicut sunt anseres, qui duo capita in se habent.² Hæc etiam insula maximam copiam habet victualium et multorum aliorum bonorum quæ non scribo.

26. *De Insula Dondin et ejus consuetudinibus turpissimis.*

De ista insula recedens et pergens versus meridiem ad quamdam magnam insulam me applicui quæ vocatur Dondin,³ quæ idem est quod immundum.⁴ In insula ista mali homines commorantur. Nam ipsi carnes aridas⁵ comedunt omnemque alium immundiciam quæ jam dici posset.⁶ Turpem inter se consuetudinem habent. Nam pater comedit filium et filius comedit patrem, uxor maritum et maritus uxorem; et hoc per istum modum. Ponatur quod pater alicujus illorum infirmetur; filius tunc ipse ibit ad astrologum et ad⁷ sacerdotem cui sic dicet: Domine, ite vos ad sciendum a Deo nostro, si pater meus possit ab ista infirmitate liberari vel ex ipsâ mori debet. Tunc ipse sacerdos et alius homo cujus pater infirmatur accedunt ad ipsum ydolum quod est de auro vel de argento eique faciunt orationem et dicunt: Domine, tu es Deus noster, quem pro Deo nos adoramus, nobis respondeas ad ea quæ tibi nos dicemus. Taliter homo multum infirmatur; ideo te petimus si mori debeat ex hoc languore vel liberari. Tunc demon per os ydoli respondet et dicit: Pater tuus non morietur, sed de ista liberabitur infirmitate; verum tale quid sibi facere debes et sic liberabitur ipse. Ita quod ille demon totum ipsum illum modum [dicit] quem circa patrem suum tenere debet.⁸ Deinde filius ad patrem accedit, et sibi diligenter servit donec ipse totaliter liberatur.⁹ Si autem demon ille dicat ipsum debere mori, sacerdos ad eum accedet et unum pannum¹⁰ super os suum ipse ponet, et sic eum statim suffocabit et morietur. Cum autem sic interfecit eum ipsum incidet in frusta et ad ipsum comedendum invitabuntur amici, parentes, omnesque hystriones¹¹ de contrata, et ipsum comedent cum cantibus et gaudio magno; ejus tamen ossa accipient, illa ponentes sub terra cum magna sollempnitate. Parentes autem illi qui ad has nuptias non fuerunt sibi ad verecundiam maximam reputabant. Hos tales¹² multum reprehendebam, dicens: Quare sic facitis vos cum hoc quod facitis sit contra omnem rationem. Nam si canis aliquis occideretur et ante alium canem poneretur ipse de illo nullatenus manducaret; ne dum vos qui homines videmini rationales. Ad hoc mihi respondebant dicentes, hoc facimus ne vermes comedant ejus

¹ *Ven.* better nullum forensem lædunt, et solummodo illos qui nati sunt in ipsa; *Far.* to the same effect, also *Hak.*

² *Far.* absurdly has mille capita. Probably II taken for M.

³ *Ut.* Dandin; *Hak.* alone has Bodin, but probably a misprint, as it is Dodin in the MS., which I take for Hakluyt's original; *Mus.* Dodyn; *Boll.* Dodyn; *Marc.* Dondin.

⁴ *For* crudas as in *Ven.*

⁵ *Mus.* idem est quod mundus.

⁶ *Hak.* quæ quasi excogitare non poterit, to which *Mus.* adds sive dici.

⁷ *Ven.* has id est.

⁸ *Boll.* Tunc dæmon quandoque ex Idolo de convalescentia respondit, jubens procuratione illius in fine aliquas fieri ceremonias et oblationes et docens filium quomodo nutriat patrem.

⁹ *Mus.* Usque ad plenam convalescentiam juxta documentum diaboli patri ministrat.

¹⁰ *Ven.* pannum linum.

¹¹ *Ut.* jaculatores.

¹² Ego frater Odoricus.